

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 2

1977

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1977

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutiones

I-II-III. <i>Ad Patres Synodales V Coetus Generalis Synodi Episcoporum</i>	199
IV. <i>Ad eos qui intersunt VII Cursui renovationis Canonicae pro iudicibus a Pont. Universitate Gregoriana promoto</i>	209

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

I. <i>Relatio Cardinalis Praesidis de opere praestito in recognoscendo Codice Iuris Canonici</i>	211
II. <i>Discussio Patrum Synodalium circa Relationem</i>	214

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei</i>	
Decretum circa impotentiam quae matrimonium dirimit	222

Sacra Congregatio pro Episcopis

I. <i>De titulo tribuendo Episcopis coadiutoribus c.i.s.</i>	223
II. <i>De titulo tribuendo Praelatis (nullius)</i>	224

Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino et Sacra Congregatio pro Clericis

Responsum ad propositum dubium de S. Poenitentia anteponenda receptioni Primae Communionis	225
--	-----

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

De munere defensoris vinculi Diacono permanenti committendo	226
---	-----

ACTA COMMISSIONIS

I. <i>Transmissio schematum canonum consultationis causa</i>	227
A. <i>Transmissionis Litterae</i>	227
B. <i>Index generalis provisorius novi Codicis</i>	229
C. <i>Praenotanda - Canones praeliminares et normae generales</i>	231
II. <i>Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus</i>	274
A. <i>Coetus specialis studii « De Lege Ecclesiae Fundamentalí »</i>	274
<i>Caput II: De Ecclesiae munere sanctificandi</i>	275
<i>Caput III: De Ecclesiae munere regendi</i>	279
<i>Normae finales</i>	295
B. <i>Coetus studiorum de Iure poenali Pars secunda: De poenis in singula delicta</i>	304
C. <i>Coetus studiorum de Sacramentis Synthesis animadversionum generalium</i>	323
<i>Canones de Ecclesiae munere sanctificandi</i>	323
<i>Titulus V: De Sacramento Unctionis infirmorum</i>	332
D. <i>Coetus studiorum de Iure matrimoniali</i>	340
<i>De impedimentis in genere</i>	345
<i>De matrimonii mixtis</i>	353
<i>De impedimentis dirimentibus</i>	359
<i>De consensu matrimoniali</i>	369

DOCUMENTA

<i>Oratio Card. P. Felici in Pontifica Universitate Gregoriana</i>	379
NOTITIAE	382
INDICES	383

4

COETUS STUDIORUM DE IURE MATRIMONIALI

Prosequitur labor ad examinandas animadversiones ab Organis consultationis circa canones « de iure matrimoniali » factas. Labor, ut dictum est (cfr. Communicationes, 9, 1977, pp. 117-145), peractus est a parvo Coetu, moderante Exc.mo R. I. Castillo Lara, Secretario Commissionis, Relatore P. Huizing S. I.

Adunatio diei 27 aprilis 1977

DE IMPEDIMENTIS IN GENERE

Can. 265 (CIC 1039)

§ 1. Ordinarius loci in suo territorio commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii, vetare potest matrimonium in casu peculiari, sed ad tempus tantum, gravi de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam dirimentem una suprema Ecclesiae auctoritas addere potest.

Aliqui prae oculis habentes primam partem huius canonis 265 § 1 et primam partem sequentis canonis 266 § 1 (« Ordinarius loci proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ... »), suggesserunt ut iisdem verbis redigantur, ideoque eligatur vel redactio can. 265 vel redactio canonis 266.

Suffragatio fit an placeat haec suggestio: placet n. 5, non placet n. 1.

Deinde suffragatur an placeat seligere redactionem prout habetur in can. 266: placet 5, non placet 1.

Can. 266 (CIC 1040)

§ 1. Ordinarius loci proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest, exceptis iis, quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur.

§ 2. Impedimenta quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur sunt:

- 1) *impedimentum aetatis, quoties aetatis defectus annum excedat;*
- 2) *impedimentum ortum ex sacris ordinibus aut ex perpetua professione in Instituto vitae consecratae;*
- 3) *impedimentum criminis de quo in can. 290;*
- 4) *impedimentum consanguinitatis in linea collateralis usque ad tertium gradum, cauto quidem quod ab impedimento consanguinitatis in linea recta dispensatio non datur;*
- 5) *impedimentum ortum ex affinitate in linea recta.*

— Quoad § 1 suggestum fuit ut dicatur « impedimentis iuris mere ecclesiastici ». Consultores autem censem talem additionem verbi « mere » non esse necessariam.

— Quoad § 2, paucissimi petierunt ut reservatio penitus auferatur quia sufficit ordinaria vigilantia Sanctae Sedis ad abusus praecavendos. Plures autem admiserunt opportune dispensationem quorundam causum reservatam iri Sanctae Sedi, dubia autem moverunt num omnes casus in canone recensiti reservari debeant S. Sedi. Fere omnes enim concordes fuerunt ut retineatur n. 2 canonis, sed de aliis numeris magna discordantia habetur inter organa consultationis.

Consultores, omnibus suggestionibus perpensis, ita circa singulos numeros canonis decernunt:

De n. 1:

Suffragatio facta est an placeat reservare dispensationem S. Sedi:
placeat 2, non placeat 5.

De n. 2:

— Quoad impedimentum ex sacris ordinibus, nonnulla organa consultationis suggesserunt ut excipiatur a reservatione impedimentum ex *diaconatus* ordine. Quae propositio non arridet Consultoribus, uno tantum contradicente;

— quoad impedimentum ex perpetua professione in Instituto vitae consecratae, proposuerunt aliqui ut reservatio auferatur pro sodalibus Institutorum iuris dioecesani.

Facta investigatione circa actualem praxim S. Sedis in subiecta materia, iuxta quam dispensatio a votis perpetuis in Institutis iuris dioec-

cesani datur ab Ordinario loci, Consultores decernunt ut in canone dicatur: « ... ex perpetua professione in Instituto vitae consecratae iuris pontificii ».

De n. 3:

Suffragatio facta est an placeat reservare dispensationem S. Sedi: placet 5, non placet 2.

De n. 4:

Animadversiones factae sunt nonnullae circa cautionem quae habetur de impedimento consanguinitatis in linea recta; aliqui proposuerunt ut cautio illa penitus supprimatur, quia sufficit cautela quae habetur in can. 291, § 4; alii vero dixerunt illam cautionem alibi collocandam esse, ita ut can. 266, § 2 praebeat tantum indicem casuum reservatorum.

Consultores, post aliquam discussionem, respondent cautelam can. 291, § 4 non esse sufficientem. Placet tamen animadversio altera, de cautione alibi collocanda, quare decernitur ut addatur § 3 his verbis redacta:

Numquam datur dispensatio ab impedimento consanguinitatis in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis.

Deinde fit suffragatio an placeat reservare S. Sedi casum de quo in n. 4, scilicet dispensationem ab impedimento consanguinitatis in linea collaterali usque ad tertium gradum: placet 1, non placet 6.

De n. 5:

Suffragatio facta est an placeat reservare S. Sedi dispensationem ab impedimento affinitatis in linea recta: placet 2, non placet 4.

Can. 267 (CIC 1041)

Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur.

De hoc canone non factae sunt animadversiones, ideo textus manet prout est.

Can. 268 (CIC 1043)

Urgente mortis periculo, loci Ordinarius, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, potest tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impe-

dimentis iuris ecclesiastici sive publicis sive occultis, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo.

— Est qui censeat hunc canonem esse duplicationem quandam can. 266, § 1.

Consultores non idem sentiunt, quia vi can. 268, loci Ordinarius dispensare potest etiam ab impedimentis quorum dispensatio reservata est S. Sedi.

— Nonnulli petierunt ut ab hac facultate dispensandi in periculo mortis excipiatur impedimentum ordinis sacri.

Consultores unanimiter censem hanc suggestionem non esse attendendam; rationes pastorales enim suadent ut non introducatur talis exceptio.

Aliquis Consultor proponit ut deleantur verba « ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimatiōni proliſ » (placet 4, non placet 3).

— Suggestum est ut deleantur verba « remoto scandalo » (placet 5, non placet 1).

— Aliquis Episcopus petiit ut in can. 268 includatur etiam facultas concedendi sanationem in radice.

Haec propositio non placet Consultoribus, quia institutum sanationis in radice, inclusa facultate Ordinarii loci circa ipsum, describitur in suo loco (Cap. XI), et non est ratio cur tale institutum misceatur cum instituto impedimentorum.

Adunatio diei 28 aprilis 1977

Can. 269 (CIC 1044)

§ 1. In eisdem rerum adiunctis de quibus in can. 268 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum minister sacer rite delegatus, tum sacerdos vel diaconus qui matrimonio, ad normam can. 318 § 3, assistit, tum confessarius, si agatur de casu occulto, pro foro interno extra tamen actum sacramentalis confessionis.

§ 2. In casu de quo in § 1, loci Ordinarius censetur adiri non posse, si tantum per telegraphum vel telephonum ad eum possit recurri.

Circa hunc canonem sequentes animadversiones ab organis consultationis factae sunt:

a) Ad uniformitatem terminologicam assequendam, aliqui suggesterunt auferendam esse notionem « ministri sacri » quae occurrit tantum hic et in cann. 320, § 2 et 321, § 2. Ideo in praesenti canone dici potest: « ... pollet tum parochus, tum sacerdos, vel diaconus, qui ad normam can. 313 rite est delegatus aut matrimonio ad normam can. 318 § 3 assistit ... ».

Propositio omnibus placet.

b) Nonnulli non probant quod confessarius possit impedimentum dispensare pro foro interno, extra tamen actum sacramentalis confessionis tantum. Etiam aliqui Consultores idem sentiunt.

Unus Consultor animadvertisit talem delimitationem ad forum internum extrasacramentale postulari ab ipsa natura potestatis regiminis quae, uti dicitur in can. 97 novi schematis de Normis Generalibus, « de se exercetur pro foro externo, quandoque tamen pro solo foro interno, ita quidem ut effectus quos eius exercitium natum est habere pro foro externo, in hoc foro non recognoscantur, nisi quatenus in determinatis pro casibus iure statuatur ». Ne habeatur ergo confusio inter forum externum et forum sacramentale introducta est in canone illa delimitatio facultatis confessarii ad forum internum extra tamen actum sacramentalis confessionis. Secundum alium Consultorem autem intentio vitandi confusiones inter forum externum et forum sacramentale melius assequeretur si non de « confessario » loqueretur sed de simplici sacerdote; attamen mens quae habebatur in Coetu erat ut confessarius posset agere *qua confessarius* et ideo ipsi dari debet facultas dispensandi ab impedimento intra actum sacramentalis confessionis. Alter Consultor praeferret non facere mentionem de « confessario » sed de simplici sacerdote, ideo dici posset: « omnis sacerdos si agatur de casu occulto. pro foro interno extra tamen actum sacramentalis confessionis ». Duo Consultores instant pro servanda figura confessarii, quia dantur casus in quibus sacerdos *qua confessarius* tantum habet notitiam impedimenti et non potest ullo modo transferre hanc notitiam ad forum extrasacramentale.

Sententiis ita prolatis, fit discussio ampla et accurata inter Consultores, deinde habetur suffragatio an placeat tribuere confessario facultatem dispensandi ab impedimentis in foro interno sacramentali: placet 5, non placet 2.

Unus Consultor proponit ut recipiatur suggestio S. Paenitentiariae dicendi in canone « tum confessarius, si agatur de casu occulto, pro foro interno *sive intra sive extra actum* sacramentalis confessionis » (placet 5, non placet 2).

Contra hanc novissimam redactionem Consultor quidam animadvertisit confessarium non posse dispensare a forma canonica in foro conscientiae. Alii Consultores respondent ipsum confessarium, *qua sacerdotem*, posse dispensare a forma.

c) Suggestum fuit ut can. 269 uniatur cum can. 268 in unicum canonem.

Suggestio placet aliquibus Consultoribus, attamen, claritatis causa, praevalet sententia unius Consultoris distribuendi materiam cann. 268 et 269 in plures §§ unius canonis, scilicet:

§ 1: = can. 268.

§ 2: *In eisdem rerum adiunctis de quibus in § 1 et solum pro causis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum minister sacer rite delegatus, tum sacerdos vel diaconus qui matrimonio ad normam can. 318 § 3 assistit.*

§ 3: *In periculo mortis confessarius gaudet facultate dispensandi ab impedimentis occultis pro foro interno sive intra sive extra actum sacramentalis confessionis.*

Exitus suffragationis de hac redactione proposita ab uno Consultore sequens est: placet 5, non placet 2.

d) Nonnulli censuerunt can. 269 § 2 supprimi posse eo quod ubique terrarum telegraphum et telephonum non iam censemur media extraordinaria cum generatim in promptu omnium habeantur. Idem etiam sentiunt aliqui Consultores. Unus Consultor tamen telephono et telegrapho notam medii *extraordinarii* adhuc tribuit ex eo quod, si ipsis utetur, deficit documentum scriptum concessae dispensationis. Alter Consultor praeterea censet quod, si non dicatur illa media esse extraordinaria, facultas dispensandi in periculo mortis non expedita esset, cum obligatio exurgeret recurrendi per ipsa media ad Ordinarium.

Fit suffragatio an placeat supprimere can. 269 § 2: placet 3, non placet 4.

Can. 270 (CIC 1045)

§ 1. *Potest Ordinarius loci sub clausulis in fine can. 268 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in citato can. 268, quoties impedimentum detegatur vel ad notitiam Ordinarii aut parochi deferatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.*

§ 2. *Haec facultas valet etiam ad convalidationem matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sedem Apostolicam vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, ad Ordinarium.*

§ 3. *In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in can. 269, § 1, sub eiusdem canonis clausulis, sed solum si casus natura sua vel tantum facto sit occultus et ne loci quidem Ordinarius adiri ad normam can. 269 possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti; quoad confessarium servandum est praescriptum can. 269.*

— Plures petierunt ut excipiatur impedimentum Ordinis a facultate dispensandi ab impedimentis in casibus perplexis.

Etiam Consultores unanimiter concordant de excipiendo impedimento Ordinis.

— Consultor quidam proponit ut can. 270 penitus supprimatur, quia, attentis deliberationibus nuper factis sive quoad can. 266 sive quoad can. 270, deficit ratio sustinendi hoc institutum de casu perplexo pro uno tantum impedimento, scilicet pro impedimento criminis.

Fit suffragatio an placeat supprimere can. 270: placet 3, non placet 4.

— Non paucae suggestiones factae sunt ab Organis consultationis ut canon simpliciori modo redigatur, quare aliqui Consultores, collatis consiliis, hanc formulam redigunt:

Can. 270

§ 1. *Quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit usque dum a competenti auctoritate dispensatio obtineatur, facultate gaudent dispensandi ab omnibus impedimentis, iis exceptis de quibus in can. 266, § 2, n. 1, loci Ordinarius et, dummodo casus sit*

occultus, omnes de quibus in can. 268, §§ 2-3, servatis conditionibus ibidem praescriptis.

§ 2. Haec facultas valet etiam ad matrimonium convalidandum si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurriendi ad Sedem Apostolicam, vel, quod attinet ad impedimenta a quibus dispensare valet, ad Ordinarium.

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 5, non placet 2.

Can. 271 (CIC 1046)

Parochus aut sacerdos vel diaconus de quibus in can. 269, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

Suggestum est ut deleantur verba « pro foro externo » utpote superflua.

Consultores autem censem illa verba claritatis causa servari posse.

Can. 272 (CIC 1047)

Nisi aliud ferat S. Paenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro, qui in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 (Codicis I. C.) asservandus est, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit.

— Consultor aliquis dicit hunc canonem inutilem esse et proponit ut supprimatur.

Suffragatio habetur de hac propositione: placet 1, non placet 6.

Alius Consultor proponit ut dicatur « si » loco « etsi »: placet omnibus.

Adunatio diei 29 aprilis 1977

Can. 273 (CIC 1055)

Dispensationes super publicis vel notis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequitur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi iam in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contracturi sunt.

Unus Consultor proponit ut hic canon supprimatur, quia in Libro I Codicis habentur generales normae de exsecutione rescriptorum. Alius Consultor censet can. 273 aliquantulum discrepare a norma generali, stante pracepto « monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contracturi sunt ».

Fit suffragatio an placeat supprimere can. 273: placet omnibus.

* * *

DE MATRIMONIIS MIXTIS

Canones 274-281 Schematis praebent materiam de impedimentis prohibentibus. Cum autem impedimenta prohibentia suppressa sint (ut supra dictum est), manet reordinanda materia de matrimoniis mixtis, iuxta placita expressa a Consultoribus. Novum caput de matrimoniis mixtis, iuxta sententias quorundam Consultorum, collocari posset ut Cap. II, post caput « De cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent »; iuxta alios autem collocari posset post Cap. VI « De forma canonica », attenta peculiaritate huius materiae de matrimoniis mixtis et ratione habita quod in hoc capite de matrimoniis mixtis quaedam normae etiam dantur de forma canonica servanda.

Sed de loco quo canones collocari debent decisio erit postea.

Consultor quidam praebet aliis Consultoribus sequens schema novae distributionis totius materiae matrimonia mixta respicientis:

Can. 1 (= 276)

Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plenaे spirituali coniugum communioni obstet, sine prævia auctoritatis competentis dispensatione, prohibitum est.

Can. 2 (= 277)

§ 1. Ab hac lege Ordinarius loci dispensationem concedere potest dummodo iusta causa et rationabilis habeatur et impletæ sint conditiones de quibus in §§ 2, 3 et 4.

§ 2. Ad impetrandam dispensationem, pars catholica declareret se paratam esse pericula a fide deficiendi removere; eadem insuper gravi

*obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro vi-
ribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur
et educetur.*

*§ 3. De his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non ca-
tholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse
promissionis et obligationis partis catholicae.*

*§ 4. Ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essen-
tialibus matrimonii, a neutro contrahente excludendis.*

Can. 3 (= 278)

*Episcoporum Conferentiae est, decreto ad normam iuris lato, sta-
tuere modum quo hae declarationes et promissiones, quae semper re-
quiruntur, facienda sint, sive ore tantum, sive etiam scriptis, sive
coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo
constet et pars non catholica certior reddatur; itemque edicere quae alia
sint, pro opportunitate, postulanda.*

Can. 4 (= 279)

*Locorum Ordinarii aliique animarum pastores carent, ne coniugi
catholico et filiis e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit
ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad
vitae coniugalnis et familiaris fovendam unitatem. Qua de re, optandum
est, ut iidem pastores relationes instituant cum ministris aliarum com-
munitatum religiosarum, easque sincera probitate et sapienti fiducia
conforment.*

Can. 5 (= 321, § 3)

*Quoad matrimonium cum dispensatione a forma canonica, ad
normam can. 319, § 3, contractum, Episcoporum Conferentiae normas
edant, quibus modus communi ratione determinetur, quo de hoc ma-
trimonio in regestis matrimoniorum et baptizatorum constet.*

Can. 6 (= 286)

*Quae in cann. 260-263 praescripta sunt, applicari quoque debent
matrimoniis, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus, ad nor-
mam can. 285.*

Can. 7 (= 280)

Episcoporum Conferentiae Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis quae circa matrimonia mixta ad normam cann. 3 (= 278), 319 § 3, 5 (= 321 § 3) decreverint.

Examinantur singuli canones.

De can. 1 (= 276 schematis)

— De sententia quorundam organorum consultationis, terminus « non catholicus » indiget aliqua clarificatione; cum enim nullibi detur in Codice definitio iuridica termini « catholicus », non sufficit dicere in canone « persona non catholica ».

Consultores, hanc suggestionem recipientes, ita verba canonis mutant: « ... quarum altera sit catholica altera vero *communitati ecclesiastici non catholicae adscripta* ... ».

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet », utpote superflua. Aliis non probatur locutio « natura sua » quia nimis dura videtur.

Consultores censem verba illa tuto servari posse, quia etiam in M. P. « Matrimoniis mixtis » habentur.

— Aliqui dixerunt verba « sine praevia auctoritatis competentis dispensatione » inutilia esse.

Consultoribus autem non placet haec verba delere, quia innuunt possibilitatem obtainendi dispensationem.

De can. 2 (= 277 schematis)

— Unus Consultor proponit ut in § 2 dicatur: « ... declareret ... removere, *atque promissionem sinceram praestet se omnia* pro viribus etc. ... »; ita clarius appareret duas esse conditiones ad dispensationem impetrandam.

Propositio omnibus placet.

— In § 3 dici debet « altera pars » loco « pars non catholica ».

De can. 3 (= 278 schematis)

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « decreto ad normam iuris lato », quia in loco proprio Codicis erunt normae gene-

rales circa modum quo Episcoporum Conferentiae agere debent in edendis legibus.

Etiam aliqui Consultores idem sentiunt, uno autem contradicente, qui censet facultates, Conferentiis datae per M. P. « Matrimonia mixta », speciales esse, uti patet etiam ex can. 7 huius schematis de matrimonii mixtis, ubi praecipitur Conferentiis ut « certiorem redant S. Sedem de iis quae circa matrimonia mixta decreverint ». Post parvam discussionem, omnes consentiunt ut modus agendi Conferentiarum Episcoporum in edendis normis de matrimonii mixtis regatur canonibus generalibus qui in parte « de personis » habentur. Consequenter in praesenti can. 3, initio, dici debet: « Episcoporum Conferentiae est, decreto ad normam can. 205 (De Populo Dei) lato, tum modum statuere quo etc. ... ».

— Suggestum est ut deleantur verba « sive ore tantum, sive etiam scriptis, sive coram testibus » necnon verba « itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda ».

Propositio haec Consultoribus placet.

— Suggestum etiam est ut clare dicatur an « promissiones », de quibus sermo est in canone, requirantur ad validitatem dispensationis vel non.

Consultores respondent ex tenore legis clare evinci ad validitatem requiri tantum iustum causam ideoque normam de « promissionibus » non afficere validitatem dispensationis, quare nihil est addendum in canone.

De can. 4 (= 279 schematis)

Nonnulli petierunt suppressionem secundae partis canonis (« Quae de re, optandum est etc. ... »), quia continet adhortationem quae potius pertinet ad pastoralem.

Propositio omnibus placet.

De can. 5 (= 321, § 3 schematis)

Duo Consultores opportunitatem considerant melius in uno canone componendi omnia quae pertinent ad quaestionem formae canonicae pro matrimonii mixtis, attentis etiam quae habentur in n. 13 M. P. « Matrimonia mixta ».

Alii Consultores, post aliquam discussionem de hac propositione,

suam sententiam favorabilem exprimunt, et committunt cuidam Consultori ut novum canonem de hac re redigat. Hac deliberatione facta, Consultores omnes unanimiter censem hoc caput « De matrimoniis mixtis » collocandum esse post Caput VI « De forma canonica ».

De can. 6 (= 286 schematis)

Consultores praeferunt ut hic canon maneat in Capite de impedimentis dirimentibus, prout prostat in Schemate De matrimonio.

De can. 7 (= 280 schematis)

De hoc canone non habentur animadversiones.

